

Cum ergo ars imitetur naturam: ff. de adopt. l. adoptio. non  
 gitur est peccatum, si per virtutem quæ est in elementis aut  
 herbis, Alchemistæ de stanno volunt facere argentum. Quia  
 cum sit in eodem principio, & in habentibus symbolum fa-  
 ciliior fit transitus. Inst. quib. mod. tol. obl. §. 1. Cum multæ  
 virtutes sint insitæ herbis & lapidibus 26. q. 5. nec mirum. cir-  
 ca medium. Sed his non obstantibus, credo quod sit illicita,  
 ex multis respectibus tum primo, quia nullus inuenitur,  
 qui habeat veram huiusmodi artem, licet dicatur de multis:  
 Sed falsum ex experientia, tum quia videmus, quod commu-  
 niter ipsam facientes multa consumunt & à communiter ac-  
 cidentibus est standum. Vnde de ipsis dicitur 2. ad Timoth. 3.  
 semper addiscentes, & nunquam ad veritatis scientiam per-  
 uenientes: experientias multas faciunt, & nunquam ad per-  
 fectum attingunt, tempus vitamque consumunt: nec id quod  
 operantur habet veritatem cum auro vel argento, sed solum  
 apparentiam. Ideo simpliciter sunt condemnandi Alchemi-  
 stæ. Et hoc euidenter probatur, quia nemo in publico eam  
 vult facere, vt appareat quod male agunt, quia odiunt lucem.  
 Et si aliquando aliquid veri faciunt, aut fit cum damno com-  
 putatis expensis, vel ex aliqua deceptione imponendo aurum  
 verum, vel aliqua fallacia diabolica, quæ vt eos attendere fa-  
 ciat huiusmodi, facit eis verum aurum ex appositione auri  
 veri occulte aliquando. Cum ergo sit tale exercitium contra  
 utilitatem publicam, vt patet ex consumptione rerum, & quia  
 (vt communiter) faciunt ex his monetam falsam. Ideo sim-  
 pliciter sunt condemnandi eam facientes.

*Conclusio ex Hieronymo de Zanetinis, qua disputationi  
 & argumentis Angeli respondetur in c. 1.  
 Ex. de accusat.*

An Alchemia sit peccatum, & ars reprobata? Alber. in Dict.  
 juris ci v. in ver. Alchemia arguit & Io. And. in addit. spec. in  
 tit. de crim. falsi. Io. de Ana. in cap. 2. de sortileg. & Pet. de An-  
 char. in c. 1. eod. tit. Baldus in c. 1. quæ sunt regal. & Tho. Se-  
 cunda secundæ q. 77. ar. 2. & finaliter videntur tenere, quod  
 non videntur peccare, si attribuunt Deo: quia non mutant  
 vnã speciem in aliam (vt eis imponitur) quia hoc est impos-  
 sibile: Sed dicunt quod ex vna specie metalli (scil. stanno) po-  
 test alia species metalli scil. aurum vel argërum produci. Nec  
 hoc est inconueniens. Et videmus quandoq; quod ex re mor-  
 tua